LAUDATIO

IN MEMORIAM

HENRICI CALLISENII

HABITA IN SOCIETATE REGIA MEDICA HAVNIENSI

DIE XVII FEBRUARII

ANNO MDCCCXXV

A

RAHLFF, M. Dre.

Serit arbores, quæ alteri seculo prosint.

M. T. Cicer. Tusculan. disput. Libr. I, cap. XII

HAVNIÆ.

TYPIS EXCUDEBAT ANDREAS SEIDELIN,

AULÆ REGIÆ & UNIVERSITATIS TYPOGRAPHUS.

MDCCCXXV.

Integer jam volvitur annus, ex quo noster HENRICUS CALLISENIUS, a Consiliis Conferentiarum, Ordinis Dannebrogici Tertiæ Classis Eques, in Universitate Havniensi Medicinæ Doctor atque Professor, et Academiæ Chirurgorum Regiæ Director Generalis, vitam apud nos, honorum vocabulis non fulgentem, sed liberalibus studiis et honoribus promeritis prælucentem, finivit.

Unum et artis Machaoniæ principibus, quem, dum in his terris fuit, Hygea in sinu gestavit, Æsculapii filii Hippocratem et Nestorem simul vocarunt, patria nunc luget ac dolet.

Vatum nostrorum jam præstantissimi, quorum magna fides et gloria est,

carminum suavitate nomen CALLISENII non minus honestarunt, quam illustrissimi viri merita laude his digna prosecuti sunt *); ephemeridum bene multæ virum adeo præstantem suo honore carere passæ non sunt **); nos vero, nos adhuc torpemus! Hæc societas, cujus ortus, conservatio, fiducia, qua apud cives et exteros valet, quin laus ac decus ei tantum debet, societas, cujus conditorum CALLISENIUS unus fuit, quam ardentissimo amore amplexus est (illum vero sociorum nemo animi contentione ac labore in hujus concilii commodis ac glo-

*) Gravblomster, samlede og udgivne af J. L. Becken. 1824. 1ste Hefte. P. 6—10.
Nye Hygæa, udgivet af C. Otto, med. Dr. Marts 1824. P. 247.

**) Nyeste Skilderie af Kjöbenhavn, 21de Aargang. Löverdag d. 7de Febr. 1824. Dagen. Fredag d. 13de Febr. 1824. No. 38.
Heinrich Callisens System der neueren Chirurgie, aus dem Lateinischem übersetz und mit Commentar, nebst vielen Znsätzen versehen von Adolph Carl Peter Callisen. Zweiter Band. Kopenhagen 1824. P. I—XLVIII.

ria promovendis superavit), nostra, inquam, societas ad hanc usque horam silentium tenuit. At diuturni hujus silentii neque pravus animi torpor, neque levitas ac socordia in causa fuit. Immo vero gravis jactura, quo liberalior cujusque sensus est, eo altius in animum penetrat, eoque diutius pectus occupatum tenet: tam cari capitis jactura, sortisque mortalium cogitatio universam societatem corripuit, singula membra adeo afflixit, ut sola temporis diuturnitas animum nostrum tranquilliorem reddere valeret, quo demum exacto, ad parentandi officium, tantique viri vitam exhibendam, sufficeremus. Profecto! nostra societas, concussa et velut fulmine icta, duobus suis ornamentis, iisque ætatis extremæ et per multos annos hujus collegii præsidibus, ultimi triennii spatio se orbatam et ab inexorabili fato violatam sensit.

Utrique, eorundem studiorum socii, ejusdem gloriæ æmuli, virtutibus, meritis, cultis animi ingeniique dotibus ad

summos honores contenderunt, aliquo tamen ætatis discrimine, neque eodem tempore vita functi. Bangii jacturam, quæ nostra erat facultas, jam doluimus; restat, ut officia, Callisenii nostri manibus debita, persolvamus, certe pietatem nostram declaremus. Uti tres abhinc annos defuncto præceptori ac duci Bangio, de me meisque studiis præclare merito, in hoc consessu gratum animum testatus sum, ita nunc quoque grati discipuli officio fungi, et beati præceptoris, ducis atque suasoris memoriam non solum caste servare ac pie colere, sed etiam, quanti tantum virum superstitem habuerim, clare significare, nostrique Callisenii manibus aliquod saltem pietatis ac humanitatis documentum dare, in votis ac animo diu fuit. At difficultatibus ac impedimentis, quibus tale coeptum premitur, si bonorum ac intelligentium judicio se commendabit, deterritus, et mecum reputans, quam difficile ac arduum sit æquis, ne dicam iniquis, eruditorum cen-

suris et nimiis sive exspectationibus, sive postulationibus satisfacere, atque criticorum reique literariæ censorum judicio absolvi, a proposito facile destitissem, cum etiam practici labores ad literarum studia otii parum mihi relinquant. Hunc metum justum neque vanum tamen superarunt *primo* amicorum preces, *deinde* honestissimi hujus consessus rogatio, humanitatis plena, desiderium et exhortatio. Hic voluntatum consensus mihi, sane volenti, sed viribus diffidenti, novos stimulos subdidit, meumque animum erexit, non quidem ad perfectam, et omnibus numeris absolutam Henrici Callisenii imaginem tentandam, id quod virium infirmitas non sinit, solummodo ad extremas effigiei lineas circumscribendas, et exstantiora quasi lineamenta ponenda, quorum ope vir tam sanctus, tam solers ac doctus, Collega noster conjunctissimus, nosci, ac justa illius forma et vera imago in memoriam facile revocari, et præsens exhiberi possit.

Collegarum humanitas, parentandi partes in me deferens, id præcipue spectavit, ut interpres essem luctus ac desiderii, quæ hæc societas, arctissimis tot annorum vinculis cum beato CALLISENIO conjuncta, e Collegæ tam sancti, tam gravis, tam solide docti obitu cepit. Quod ipsum si mihi minus contigerit, ac forsan etiam evenerit (quo nihil tristius mihi accidere potest), ut exspectationem tam gravis consessus prorsus frustrarer: malui tamen, prudentiam desiderari meam, quam benevolentiam et rectam voluntatem. Prodeo igitur in frequentem hunc consessum Medicorum spectatissimorum, Collegarum conjunctissimorum, mihi infirmitatis meæ conscius, neque ignorans, ad tantum medicum, eundemque optimum civem, ea, qua cupio, laude honestandum, et virtutes, quas nos omnes in CALLISENIO cognovimus et admirati sumus, digne prædicandas, me parum valere. Ego idem, cujus linguam verecundia cohibet, fiduciam sumam, persuasum

habens, tam sanctæ societatis neminem fore, cui videbor opus operatum facere, quia eorum, quæ a me dicenda sunt, argumenta ab ipsius Beati vita arcessens, quæ alii ante me dixerunt, repetere cogor. Qua potui diligentia, omnia expendi, ponderavi, circumspexi et prius lustravi, quam delectum fecerim, et in vitam summe venerandi magistri excurrens, prætuli, quæ, ad hanc spectantia, ipse Beatus nobis reliquit. *)

Ipsius senis testimonium mihi visum est fide dignissimum. Nec illud temere secutus sum, sed adhibito judicio, eaque diligentia ac prudentia, quam veritas, neque nostra solum ætas, sed longa posteritas et verecundia, huic societati debita, velut suo jure poscunt.

Ut adumbrata quædam HENRICI CALLISENII imago, cui, quid veræ ac perfectæ effigiei desit, Vosmetipsi, Collegæ scientissimi ac humanissimi, appo-

*) Solemnia inauguralia v. c. HENRICI CALLISENII, auctore Kratzensteinio. P. 16.

nere possitis, animis vestris obversari possit, conabor hac hora ostendere: "*primo*, "quam bonus vir ac civis fuerit, qui adversis in rebus animi magnitudinem et "constantiam, secundis animi moderatio-"nem et modestiam probavit; *deinde*, "quam doctus, prudens, et de arte Ma-"chaonia optime meritus censendus sit, "qui indefesso studio, virtutibus ac lite-"ris non minus, quam externis adjumen-"tis, tam domi quam foris, magnum no-"men sibi comparavit; *denique*, quam "solers, quam fidelis dux vitæ ac studio-"rum moderator exstiterit, quem cives "omnes validissimum salutis præsidium "judicarunt, artis Apollineæ cultores exi-"mio honore dignati sunt, discipuli pie "coluerunt, et singulari amore amplexi "sunt."

Henricus Callisenius natus est Preetzæ Holsatorum anno 1740, mensis Maji die undecimo. Contigit ei pater, vir doctus ac venerabilis, Johannes Leonardus Callisenius, qui, dum vixit, in coenobio, quod Preetzæ est, et quo generosæ patriciæ gentis virgines fruuntur, sacrorum antistitis munere cum laude functus est. Matrem, post longam annorum seriem patri superstitem, Noster veneratus est Christianam Westhoff.

Henricus Callisenius primo domi, neque solius utriusque parentis cura ac ductu, sed simul privatorum præceptorum opera ac studio, ad annum ætatis decimum tertium religionis et bonarum artium elementis imbutus est. Tum missus ad eam, quæ Schleswici floret, scholam, jam nominata religionis et bonarum artium elementa edoctus, insuper literarum fundamentis et latino sermone auctus est, et biennium ibi degens, tantum

disciplinæ hoc temporis spatio accepit, quantum, quæ rei scholasticæ facies tum erat, capere eum posse credibile est. Noster, cum decimum quartum ætatis annum jam implevisset, dicto coenobio præposita domus illustrissima de Ranzau Rastorff patri suasit, ut filiorum aliquem Havniam mitteret, eumque ductui Crügeri, consiliarii justitiæ et chirurgiæ directoris generalis, ad studium chirurgicum excolendum traderet. HENRICUS CALLISENIUS, ad artem Æsculapii se natum sentiens, conditionem, a patre oblatam, lubens accepit, et literis commendatitiis supra nominatæ illustrissimæ domus ad Crügerum instructus, neque rudis atque incultus, anno 1755 Havniam petiit. Quem jam honorifice nominavimus, Crügerus eximium hunc juvenem, curæ suæ commendatum, viro experientissimo Spierlingio, tunc chirurgo legionis Regiæ pyrobolariorum, disciplinæ salutaris elementa erudiendum, commisit, quo duce Noster non solum

per biennium usus est, sed etiam (ex quo schola artis Æsculapii, Nosocomium Fridericianum intelligo, exstructa fuit, ubi idem Spierlingius chirurgi partibus functus est) sub ejus ductu ægrotorum curæ ac tractationi sedulo interfuit. Brevi post hic eximiæ spei juvenis in Crügeri domum receptus est, ubi senis tam venerandi exemplo excitatus, indefessa industria stimulatus, et singulari cura adjutus, per integrum annum in cadaveribus dissecandis, in operationibus instituendis, et in chirurgia manuali exercenda, diem noctemque consumsit. Eodem tempore instructissima Crügeri bibliotheca, CALLISENIO possessoris benevolentia semper patens, alumni, tanta sciendi cupiditate flagrantis, impetum ac studium adeo juvit, ut, hoc tempus nullo pretio sibi redimendum, ipse ingenue fassus sit *). Hactenus ad conatus, quos jam nominavimus, laudabiles magnique animi spe-

*) Solemnia inauguralia v. c. HENRICI CALLISENII, auctore Kratzensteinio. P. 17.

cimina fortuna adspiravit, certe nullam procellam oftendit. Verum enim vero mors patris optimi, anno 1769 insecuta, filio accidit non solum tristis, quod inexspectata fuit, sed tanto magis luctuosa, quanto certius ea, in re tenui ac prole numerosa, filio hic degenti omnem præcidit spem auxilii in posterum, quo pater, dum vixit, Nostrum sublevaverat. Hæc plaga CALLISENIUM coëgit conditionem æquam cum iniqua commutare, et auxilii inopem res ad vitam necessarias proprio Marte quærere. Hinc Havniam et literarum studia relinquere dira necessitate adactus, primum Liechtio, deinde successori ejus Mauritzio, chirurgo tractus Cronenburgensis, operam medico-chirurgicam pro vilissimo pretio locavit *), quæ dura conditio per integrum annum mansit. Hoc elapso, Noster, ad metropo-

*) Solemnia inauguralia v. c. HENRICI CALLISENII, auctore Kratzensteinio. P. 18.
HEINRICH CALLISENS Biographie af I. D. Herholdt. P. 10.

lim rediens, præeunte, quem supra laudavimus, Spierlingio, primo CALLISENII præceptore, centuriæ chirurgi partibus per annum functus est, ac universæ legionis ægrotorum, per totam urbem dispersorum, fere solus pro tenui mercede curam gessit, iisque opem medico-chirurgicam præstitit. Hoc temporis intervallo mors acerba novum vulnus Nostro inflixit, nam Crügerum rapuit, quem virum affectus sane paterni, et firmissimum rerum suarum præsidium expertus erat. Funestus hic eventus et res domi angusta omnem melioris conditionis spem ei fere præcluserat.

Hisce malis accessit, quod chirurgiæ et hujus disciplinæ studio tunc temporis suus honos nondum tributus esset. Noster autem, uti ipse animo magno fuit, ita nullum malum contumelia intolerabilius duxit. Hoc animo, sibi conscius, se nullum officium prætermisisse, arrogantiam cujusdam juvenis, jubendi potestate pollentis, et de obsequio debito, sibi

denegato, injuste querentis, juste indignatus est *). Ut hujus militaris præfecti minas fugeret, neque quidquam tale, ingenuo cive indignum, in posterum pateretur, quamvis egens, ab amicis et opibus nudus, non tamen dubitavit locum, quem tenuit, illico abdicare. Ille idem, hoc consilio capto, ad experientissimum Wilhelmum Henningsenium confugit, virum aperti pectoris et paratissimæ voluntatis, virum tam dignum, qui Crügero in muneribus, quæ moriens reliquerat, successisset. Hic, tum rei chirurgicæ moderator, animi nobilissimi, humanitatis plenus, superbiam et arrogantiam exosus, CALLISENIUM, quem contumelia, quam hic bona fide exposuit, fractum vidit, non solum benigne excepit, et blando colloquio erexit, sed etiam muneris chirurgi navis bellicæ (nam classis Regiæ pars eo tempore armabatur) ei spem fecit, si modo profectus sui in

*) HEINRICH CALLISENS Biographie af I. D. Herholdt. P. 13.

disciplinis anatomico-chirurgicis aliquod specimen publice dedisset. Conditionem oblatam Noster lætus accepit, diebus 11, 12 et 18 mensis Decembris anni 1760 imperata sui profectus in disciplinis jam nominatis specimina in Amphitheatro Regio publice dedit, et sic periculo, quod ipsi minitabatur, Henningsenii circumspecto judicio ac intentissima cura liberatus, liberius spirare, atque ad altiora niti coepit. CALLISENIUS postquam tirocinium cum laude posuerat, a scientissimo, rem chirurgicam amplectente et mascule propugnante, Wilhelmo Henningsenio de meliore nota commendatus, vere anni 1761 ineunte, chirurgus primarius navis bellicæ: "den hvide Örn" renunciatus, hoc munere per annum functus est. Hac occasione Henningsenius se probavit non solum juniorum chirurgorum patrem, cui juventutis salus erat curæ cordique, sed etiam æstimatorem intelligentissimum et amicum candidissimum, cui illud, ab Ennio præclare dictum, ap-

prime convenit: "amicum certum in re incerta cerni". Sequenti anno, nimirum 1762, Noster eundem locum in alia nave bellica, cui nomen "Havfruen", tenuit, et utramque provinciam, quamvis novam, tanta fide et dexteritate per biennii spatium administravit, ut, ad susceptas partes illum sufficere, appareret. Re bene gesta, præfectorum applausum consecutus est, præsidio navis salutem, sibi utilitatem ac decus comparavit. Inde factum est, ut Beatus ille (cujus vitæ præcipua quædam momenta, ingenii animique unum alterumve specimen exhibere aggressi sumus), a triumviris, Bergero, Henningsenio et Wohlerto, adjutus, duobus beneficiis uno eodemque fere tempore, nimirum autumno anni 1762, quo cum laude rediit, dignus judicaretur. Etenim Henningsenii cura singulari chirurgorum numero, qui ex munificentia Regia stipendio fruuntur, adscriptus est, et brevi post triumvirorum nominatorum favore ac studio locum chirurgici adjuto-

ris primarii in Nosocomio Fridericiano impetravit. Sicut ipse, feliciorem vitæ epocham tum conditam esse, gratus fatetur *), neque docti Kölpinii in dicto nosocomio ductum, neque venerandi Fabricii merita dissimulat, ita nos, de fide hujus testimonii non dubitantes, epocham secundæ fortunæ, jam inde ab hoc tempore Nostri honestis conatibus et laboribus in Apollineæ artis incrementum ac gloriam perpetuo afflantis, constituimus. Quomodo per gradus ad summum fastigium, in quo collocatus decessit, ascenderit, nos, non una de causa, ad secundam orationis partem reservamus, in qua de adjumentis externis, quæ summi hujus viri operam et contentionem juverint, nos acturos promisimus. In hac parte restat pauca adhuc dicere de animi moderatione ac modestia, quas ille heros sub felici sidere per totum felicioris epochæ cursum probavit. Non multis hic

*) Solemnia inauguralia v. c. HENRICI CALLISENII, auctore Kratzensteinio. P. 19.

opus est, de re notissima loquimur, et coram consessu virorum, qui, præter alias ingenii animique virtutes HENRICI CALLISENII, ipsius moderationem ac modestiam, æque ac ego, cognitas habuerunt. Neque discipuli, quoad scio, neque illius potestati subjecti, neque alii, imperata facere jussi, de dominandi cupiditate, quæ in splendidissimis ingeniis inveniri solet, questi unquam sunt. Quin ipsæ querelæ, annis 1784, 85, 86 et 87 fusæ, quibus Noster obviam ivit, et prætermissio officii, tum ei objecta, luculenter monstrant, illum acerbis his accusatoribus nimis moderatum et indulgentem visum esse, neque tam acriter chirurgiæ dignitatem ac commoda propugnasse, quam illi voluerunt. Ille idem, in ipso pugnæ ardore quamvis a cæteris collegis (quibus auctoribus, et causam artis agente Augustissimo nostro, constitutio, rem chirurgicam magnopere juvans, mense Junio anni 1785 prodiit) quamvis, inquam, exclusus, neque con-

cilii communis particeps factus, magnam tamen moderationem et raram modestiam declaravit; et mascule se defendens, ex intimo pectore pro recens constitutæ Academiæ salute, conservatione et gloria caste ac pie precatur *). Vitam suam exponens CALLISENIUS sibi nihil stolide arrogat, contra id fautorum ac præceptorum merita animo grato prædicat. Cæterum neque patrocinium HENRICI CALLISENII adversus obtrectatores, non semper veritatis osores, hoc loco suscepimus, neque, in hac judiciorum et opinionum diversitate, de una alterave parte dissentientes in jus vocamus. Liberum cuivis docto ac sapienti, veritatis amico, in causis, quæ controversiam admittunt, judicium relinquimus, et illud unum monere sat habemus. Moderationis animi ac modestiæ laudi promeritæ, quam ei tribuere non dubitavimus, in qua virtute nobis ac

*) Til mine Medborgere i Anledning af Regiments-feltskjær Martinis trykte Brev og dets Fölger. 1785.

posteris tamquam exemplum luceat, arbitramur nihil decedere, quod Noster, ipsius Augustissimi voluntate, cui parere debuit, vocatus, et jure suo utens, locum, Kölpinii, sui quondam præceptoris, loco superiorem, accipere non recusavit; quo honore suprema harum terrarum Moderatoris voluntas, atque (ob præclara doctrinæ, ingenii ac solertiæ, a Beato edita, specimina) omnium eruditorum et artis salutaris cultorum consensus eum perdignum judicarunt: qui consensus in HENRICO CALLISENIO juste æstimando nunquam magis eluxit, quam die vigesimo nono mensis Martii anni 1805, quo, de Academiæ Chirurgorum Regiæ decanatu decedens, oratione habita *), a maxima, non solum artis Æsculapii alumnorum ac cultorum, sed etiam honoratissimorum civium frequentia reverentissime salutatus est, maximæ gratiæ ei actæ, et venerabilis senex pientissimis

*) Nyt Bibliothek for Physik, Medicin og Oeconomie. 8de Binds 2det Hefte. P. 113—131.

votis ac precationibus velut domum deductus.

Ad secundam orationis partem nunc progredimur, in qua promisimus ostendere, "quam doctus, prudens et de arte "Machaonia optime meritus censendus "sit, qui indefesso studio, virtutibus ac "literis non minus, quam externis adju"mentis, tam domi quam foris, magnum "nomen sibi comparavit."

Henrici Callisenii vitæ et chirurgici studii cursum ad annum 1762 pro facultate nostra jam persecuti sumus. Proximo biennio præceptoribus illustribus et magni nominis Kratzensteinio, Rotböllio, Bergero, Ödero et Zoëga utens, horumque sholas assidue frequentans, et audita diligenter perpendens, adeo profecit, ut anno 1764 cursum anatomico-chirurgicum absolveret, et cunctis suffragiis ornatus discederet. Ille idem biennio proxime sequenti, nimirum ab anno 1765 ad annum 66, et ab hoc anno ad subsequentem 67, diversas anatomiæ ac

chirurgiæ partes in scholis hibernis æstivisque tironibus explicuit. Laudabiles, quos ad hoc tempus exposuimus, CALLISENII conatus quidem probant, quid Noster in anatomia et chirurgia valeret, necdum tamen ullum doctrinæ ac literarum specimen in Academia nostra ab eo editum est. Constitutio, quæ, anni 1732 mense Martio promulgata, tum pro lege valuit, cuivis civi academico, ad gradum medicinæ doctoratus aspiranti, præscribit, ut ad summos honores non prius admittatur, quam suum in diversis medicinæ ac chirurgiæ disciplinis profectum, a Facultate medica explorandum, examini medico rigoroso subjiciat. Tali examini se offerre Nostro, qui nullum publicum literarum et artium humaniorum specimen ediderat, neque civitatem academicam apud nos consecutus erat, legibus non licuit, nisi ei indulgentiam ac veniam, qui ad id efficiendum dignitate ac potestate satis valerent, suo testimonio ac studio conciliassent; ad ta-

lem actum sollemnem impetu, quamvis laudabili, procurrere, suam sortem suumque fatum absque venia data, et sine quadam censorum indulgentia, exponere, moribus nostris concedi non solet. In hoc theoretico et practico examine, quod mense Julio anni 1766 CALLISENIUS cum laude absolvit, primo doctrinæ ac literarum specimine gravi censorum consessui mire placuit, qui licentiam supremos in medicina honores capessendi ei facile concessit. Occasionem de die rapientes duumviri, perillustris Bergerus, qui in vita hujus Candidati ab ipso nunquam satis colendus prædicatur, et solertissimus Wohlertus, suo favore suaque commendatione impetrarunt, quod CALLISENII modestia sperare non ausa est, ut Augustissimi Christiani Septimi singulari munificentia stipendio annuo quingentorum imperialium, ad exteras musarum sedes visendas, per triennium augeretur. CALLISENIUS, jam inde ab auspiciis cursus literarii secundo fortunæ

flatu utens, et consilia suorum Mæcenatum sequens, Lutetiam Parisiorum petere decrevit. Quos anatomiæ ac chirurgiæ præceptores Noster Parisiis elegerit (quibus etiam ducibus clinicam praxin in nosocomiis, Hôtel de Dieu sive Hospice de l'Humanité et la Charité sive Hospice de l'Unité dictis, excoluit), quos in arte obstetricia, et quos in morbis oculorum cognoscendis audiverit, omnes claros viros, qui Academiam Parisiensem eo tempore ornarunt, et quorum humanitatem et benevolentiam se expertum gratus ipse fatetur, de his audiendi cupidos ad CALLISENII vitam brevitatis causa delegamus, consilio nostro satisfecisse existimantes, si hoc unum adjunxerimus, elaborationes quasdam chirurgicas, a Nostro Regiæ chirurgorum Academiæ oblatas, tanti æstimatas esse, ut ejus conventuum aditus autori patefieret. Per biennium in Gallia commoratus, anno 1769 Londinum contendit. Hic nosocomiorum Londinensium plura, præcipue St. Georgii,

Thomæ, Caji, Bartholomæi et Westminsteri assidue frequentans, celeberrimorum virorum, penes quos praxeos clinicæ in hisce nosocomiis moderamen tum fuit, gratiam ac studia sibi comparavit. Horum omnium, et quæ cætera magna sunt nomina anatomicorum, chirurgorum ac medicorum, quibus Universitas Londinensis eo tempore excelluit, quos Noster audivit, quorumque doctrina, consilio et consvetudine usus est, sat habemus hoc loco nominare Wilhelmum Hunterum, quem Callisenius plurimi æstimat, et, docentium neminem sibi tantum profuisse, gratus fatetur.

Inter has occupationes cum Academia Regia Chirurgorum Parisiensium commercium literarium diligenter continuavit. Id intuens, illustre hoc collegium die octavo mensis Junii anni 1769 Callisenium inter socios, quos correspondentes vocant, recepit. Eodem honore Societas Artium Londinensis mense Decembri anni 1771 illum dignum judicavit.

Interea congressibus Societatis Regiæ Londinensis sedulo interfuit, et, post varias observationes oblatas, inter candidatos, more solito legendos, locum accepit. Dum Noster Londini commorabatur, fautorum ac præceptorum summi studii ac singularis benevolentiæ documenta, quanti ipsius indefessum studium ac solertiam facerent, ex patria accepit certissima. Hisce debuit, quod peregrinandi ac stipendio Regio fruendi terminus adhuc per annum prorogabatur. Illum, exteras regiones adhuc visentem, classis Regiæ bellicæ, nosocomii navalis et secundæ legionis nauticæ chirurgum primarium renunciari, fautorum beneficii erat. Sub sidere tam felici, futurum tempus votis suis arridere prævidens, mense Junio anni 1771 domum rediit. Qua solertia, vigilantia et assiduitate, Havniam redux, provinciam susceptam administraverit, de ea re in ultima hujus laudationis parte, ut loco magis idoneo, agere constituimus, cupientes in hac parte,

quod ad summi hujus viri doctrinam ac prudentiam pertineat, id solummodo ad imitationem proponere. Primum Callisenii doctrinæ ac perspicientiæ specimen post reditum in patriam dissertatio inauguralis est, in qua ex clarissimorum virorum scriptis, ut ipse loquitur, multa excerpens, alia momenta speciali nexui suo cum multis chirurgis Hollandiæ, Galliæ et præcipue Angliæ, ut et nostris chirurgis navalibus debens, suasque observationes per biennium, quo officio chirurgi navis bellicæ primarii functus est, adjiciens, "præsidii classis Regiæ sanitatem tuendi methodum" exponit. Hanc dissertationem Noster, amplissimo Kratzensteinio præside, anno 1772, ejusque anni die decimo quinto mensis Februarii, publice et mascule defendit. De pretio eximio hujus dissertationis inauguralis judicium idonei censoris, professoris Todii, vita functi, valde honorificum legitur in docto opere, quod inscribitur: "Medicinisch-chirurgische Biblio-

thek", vol. 1, p. 119. Vos, Collegæ humanissimi, mihi veniam date, quod fusius exposui CALLISENII profectum per singulos gradus ad hoc usque tempus, præcipue doctrinæ ac solertiæ specimina et existimationem, apud exteros et domesticos literarum studiis partam, quæ documenta confirmant, quod in hac laudationis parte posuimus, non indefesso solum studio, literis ac virtutibus, sed etiam externis adjumentis, quæ hic prudens ac modestus vir in suum suique studii commodum vertere calluit, effectum esse, ut, tam domi quam foris, aliquam nominis celebritatem consequeretur.

Reipublicæ et rei literariæ administrationis forma, anno 1772 apud nos mutata, res CALLISENII adeo non mutavit, ut potius multa adjumenta externa Nostri fortunam juvarent, eumque in altius fastigium eveherent. Penes quos reipublicæ et literarum moderamen tum erat, ii, uti nominis Danici gloriam lege de jure indigenatus præmuniverunt,

ita studium philologicum et meliorem linguarum doctarum cultum in solidæ doctrinæ et humanitatis fructum tenerrima cura foverunt. Iidem omnia pacis studia plurimi æstimarunt, ægre ferentes, si quis sine literis ac moribus, linguæ vernaculæ et patrii moris nescius, insignem in republica locum occuparet. Huic rerum mutationi alia commoda accesserunt. Celeberrimus Bergerus, in Universitate Havniensi chirurgiæ professor, eandem provinciam in Kiloniensi administrare jussus, docentis locum in Lyceo Havniensi vacuum fecit. Sedem vacuam CALLISENIUS ob præclara doctrinæ artisque Machaoniæ specimina, quæ jam ediderat, ad hæc in chirurgia sine æmulo (qui, sive artis scientiam, sive manus dexteritatem, sive merita et patronorum favorem spectaveris, ei par judicari potuit), facile impetravit. Insuper Facultas Medica Havniensis, occasione utens, Regem supplex imploravit, ut post obitum Henningsenii chirurgiæ directoris gene-

ralis munus cum Universitate Havniensi conjungeretur, et cum hac unum corpus efficeret. Eadem Nostrum quoque magnopere juvit, et effecit, ut anno 1773, mensis Februarii die decimo octavo, professor chirurgiæ renunciaretur, cui Augustissimus simul indulsit, ut in locum Henningsenii, de vita exeuntis, qua chirurgiæ director generalis succederet. Jam inde ab eo tempore CALLISENIUS magis magisque se talem præbuit, qualis postea ab omnibus cognitus est, præceptorem idoneum ac fidelem, acumine excellentem, medicum solertem et felicem, chirurgum dexterrimum et in hac arte eminentem, eundem solidæ doctrinæ, scriptorem gloriæ immortalis.

De doctrina et doctrinæ monumentis, quæ Beatus reliquit, in hac parentationis parte agimus. Ut taceamus opuscula, latino sermone scripta, eruditorum comprobatione jam dudum ornata, et Actis Societatis Medicæ Havniensis inserta, unum opus, quod diverso tem-

pore, mutato nomine, semper auctius ac emendatius prodiit, nomen Defuncti immortali gloriæ commendat. Hoc opus primo prodiit Havniæ anno 1777, et inscribitur: "Institutiones chirurgiæ hodiernæ, in usum academicum adornatæ"; deinde anno 1788, mutato titulo in "Principia systematis chirurgiæ hodiernæ, in usum publicum et privatum adornata". Tum anno 1798 prodiit cum novo titulo: "Systema chirurgiæ hodiernæ, in usum publicum ac privatum adornatum", et denique anno 1817, in cujus editionis fronte legitur hic titulus: "Systema chirurgiæ hodiernæ, in usus publicos ac privatos adornatum". De tali opere, cujus pretium eminet, verecundia me certe prohibet, quo minus judicium meum proferam. Satis habeo honorificentissima de hoc opere eruditorum ac intelligentium æstimatorum judicia adjungere. Quanti illustre hoc monumentum æstimatum, et quam uberes fructus spargere existimatum sit, documento est censorum

acutissimorum ac scientissimorum consensus, omnium, penes quos de ejusmodi rebus lex et arbitrium est, comprobatio, ac hujus systematis usus in variis Europæ lyceis et academiis, summorum imperantium edictis jussus et præscriptus. Quamvis haud dubitandum, quin opus tam illustre, latino sermone scriptum ac decenter vestitum, HENRICO CALLISENIO, tam in patria quam apud exteros, magnum nomen comparaverit, concedendum tamen est, illud, quanticunque etiam pretii sit æstimandum, eruditis in literato orbe esse tantummodo profuturum, omnes vero latini sermonis ignaros, neque ad tale opus intelligendum satis cultos, quales tum chirurgorum plurimi fuerunt, absque interprete nullam inde utilitatem esse capturos. Quare, cum autoris gloriæ consultum, tum utilitas operis tam late diffusa est, quam id fieri potuit, eo quod hoc perenne doctrinæ cultique ingenii monumentum in plures linguas exoticas, easque Europæ cultissi-

mas, sit conversum. Novissima translatio in Germanicam linguam, cujus posterior pars nuperrime prodiit, Beati ex fratre nepoti, conjunctissimo Collegæ Professori A. C. P. Callisenio, debetur, qui cum chirurgiæ literatura recentioris temporis familiaritatem inivit, quique, quidquid novum et memorabile, quidquid augmenti et incrementi hujus disciplinæ ab anno 1817 ad nostrum usque tempus in lucem prodierat, id omne singulari cura, studio et diligentia collegit, in unum corpus coegit, et ipsum opus auctius fecit. In humanioribus, quæ dicuntur, literis latinique sermonis castitate et elegantia, nescio, an unus et alter, optimo sane consilio animique affectu, Beati profectum, supra quam veritas, quæ honeste factis sufficit, pati possit, extulerint, et modum egressi sint. Quis est sani et incorrupti judicii, cui, cursum vitæ ac studiorum Callisenii intente legenti, mirum non videatur, Nostrum, e schola Schleswicensi ad academiam nondum maturum,

cujus profectus in linguis doctis, cæterisque ad ingenium formandum, sensumque veri, honesti ac pulchri acuendum, pertinentibus disciplinis in examinibus publicis, ante examen medico-rigorosum apud nos jussis, exploratus non fuit, cujusque cursus in literis humanioribus coeptus re familiari tenui et studio chirurgico impeditus est, vividiore ætate jam elapsa, ad studia humaniora reversum, solo usu, absque assidua scriptorum aureæ ætatis lectione, ad tantum, quantum prædicatur, fastigium adscendere posse.' Quæ septemdecim abhinc annos ingenue fassi sumus, illa repetere neque a causa neque a loco alienum ducimus: "Usus in latina lingua nisi ad exemplaria "scriptorum priscorum, quatenus ab his "discedere nefas, et ad certas leges dirigi- "tur, facilitas magis quam facultas nimia "ista assiduitate, nec fiducia, sed temeri- "tas paratur". *) Viderint, qui CALLI-

*) Vide commentationem meam medico-practicam, quæ continet electricitatis tanquam medicaminis dijudicationem. Havniæ 1807. P. 268.

SENIO nostro summum in humanioribus literis latinique sermonis castitate atque elegantia locum tribuere non dubitarunt, ne, Nostrum in literis, quas sero amplexus, usu maxime didicit, talem prædicantes, disciplinis, in quibus habitabat, quarum singulis exhauriendis cursus vitæ brevis non sufficit, atque plurium provinciarum officiis nimium laudis detrahant. HENRICO CALLISENIO perenni laudi erit, quod prima ætate rerum angustiis pressus, ætate confirmata, quantum per temporum et officiorum rationes liceret, in humanioribus profecerit, iis chirurgiam et medicinam ornaverit, eorum fructum ad incrementum omnium bonarum artium et rectorum studiorum cognitum habuerit, humaniora studia per totius vitæ cursum amaverit, docens foverit, commendaverit, amplexus sit. Silentio præterire non possum aliud HENRICI CALLISENII opus, tam civibus quam omnibus Æsculapii filiis non minus jucundum ac gratum, neque minoris

utilitatis, quam illustre illud, quod jam nominavimus, cui doctrinæ laudis priores partes merito tribuuntur. Hoc opus Danico idiomate, ætate autoris sexaginta septem annorum, scriptum, inscribitur: "Physisk-medicinske Betragtninger over Kjöbenhavn, Stadens Beboere tilegnede", cujus prior pars anno 1807, posterior biennio post prodiit. Hoc quoque monumentum in illustri loco posuerunt rerum, quas complectitur, copia et gravitas. Hujus finis latissime patet, cum bono communi et salute publica, ad quam sanitas ac robur civium pertinent, intime connexus. Nullum hujus metropoleos publicum institutum, cum civium sanitate ac vita quamvis remotissime conjunctum, ab autore est sive præteritum, sive minoris habitum. Esto quantacunque judiciorum et opinionum varietas, esto quantuscunque ipsorum eruditorum dissensus, in universo tamen opere auctoris acumen, solertia et usus ubivis eluceet. Quare non dubitamus, quin Beatus

hoc quoque opere de arte Machaonia optime meruerit, suorum civium non minus, quam omnium Hygeæ alumniorum gratia et memoria sempiterna dignus. Reliqui tractatus CALLISENII, Danica lingua scripti, una cum omnibus libris, quos Beatus scriptos reliquit, illorumque censura a conjunctissimo nostro Collega, meritissimo Professore Herholdio, collecti sunt in CALLISENII biographia, quam edidit anno 1805. Hi tractatus quoque seorsim typis vulgati prodierunt in Scriptis Regiæ Scientiarum Societatis, insuper in pluribus locis cum autoris laude memorati.

Venimus nunc ad tertiam hujus laudationis partem, in qua spectari volumus, "quam solers, quam fidelis dux vitæ ac "studiorum moderator HENRICUS CALLI-"SENIUS exstiterit". In secunda hujus laudationis parte substitimus, in quo loco Noster, exteras regionis partes adhuc visens, classis Regiæ bellicæ, nosocomii navalis et secundæ legionis nauticæ chi-

rurgus primarius renunciatus est, et ad hanc partem, ut locum magis idoneum, Vos, Collegæ spectatissimi, delegare necesse duximus, cum partes susceptæ nobis præscriberent monstrare, qua solertia, vigilantia et assiduitate Noster, Havniam redux, utramque provinciam administraverit. Horum munerum alteri per viginti tres annos, alteri per viginti annos et unum præfuit, et in utroque munere tantam solertiam, vigilantiam et assiduitatem probavit, ut hasce virtutes non solum discipuli mirarentur, et summis, neque indebitis, laudibus efferrent, sed etiam ipse Augustissimus epistola perhonorifica, anni 1799 ipsis Calendis Maji missa, indulgentissime significaret, sibi maxime placere intentissimam curam et eximiam solertiam, quas in nautarum graviter decumbentium tractatione nosocomii navalis chirurgus primarius, Professor CALLISENIUS, probasset. Ut hæc Nostri solertia adeo elucerct, in causa fuit epidemia, eodem anno grassans, non

minus perniciosa, quam horrorem incutiens, neque nosocomium numerum ægrotorum exceperat millesimo nongentesimo nonagesimo minorem, cujus Noster curam gessit, eodemque tempore suis discipulis et junioribus chirurgis, lateri ipsius adhærentibus, docendo, monendo, suadendo mire profuit. Nimis longum foret, solertiam Callisenii cæterasque, quæ solertissimum hunc Machaonem distinguunt et ornant, virtutes in singulis provinciis, curæ ipsius mandatis, persequi. Exstantiora, ut ita dicamus, lineamenta et illustriora solertiæ documenta proferre, temporis cancelli solummodo sinunt.

Temporis ordinem nos sequentes, primo nominamus Nostri solertiam ac singulare studium in societatem, quam una cum Jungio, Abildgaardio, Saxtorphio, Todio et Schönheydero, viris exquisitæ doctrinæ et singularis perspicientiæ, solenni quadam occasione usus, anno 1772 exeunte, constituit, Regiam Societatem

Medicam Havniensem, Augustissimo indulgente, ab anno 1782 vocatam. In hac societate tantus honos ei tributus est, ut ab ipsis hujus societatis membris spatio triginta annorum undevicies societatis præses] eligeretur; cujus societatis acta benemultis eximiæ eruditionis ac peritiæ commentationibus et tractatibus, antehac memoratis, auxit, locupletavit, ornavit. Neque minus HENRICI CALLISENII solertia apparuit in professoris munere obeundo, quippe qui anno 1773, suæ ætatis tricesimo tertio, professor chirurgiæ in Universitate Havniensi, ut supra memoravimus, renunciatus, vicennii spatio, eoque continuo, hunc locum tenuit. Quamvis in scholis chirurgicis habendis illustrissimum Bergerum antecessorem habuit, et, tam domi quam foris, aliis chirurgiæ ducibus gavisus est, suis tamen scholis, ad quas suo chirurgiæ systemate usus est, summam studiosorum utilitatem semper intuens, non minus solertia, quam experientiarum penu sub-

tilique judicio auditoribus profuit. De CALLISENII, tamquam docentis, virtutibus postea plura. Quanti ipse Augustissimus nostri Beati solertiam, indefessam operam et rerum usum fecerit, documento quoque est epistola Principis, die decimo tertio Novembris anni 1776 missa, in qua noster Asclepiades jubetur una cum aliis illustribus medicis convenire, et, "constitutionis de jure indigena-"tus ratione habita, media proponere, "quorum ope non chirurgia solum apud "nos juvari, sed etiam speciatim referre, "quibus paratis id effici posset, ut com-"modissima et aptissima educatione juve-"nes chirurgi, iique indigeni, qui soli "ad plurima munera chirurgica idonei "sunt, fruerentur, et simul numerus, ad "operam Regi ac patriæ præstandam, suf-"ficiens conciliaretur". *) Exstat relatio medicorum illustrium, una cum CALLI-

*) Physicalsk-oeconomisk og medicochirurgisk Bibliothek for Danmark og Norge. Junii 1796. Pag. 106.

SENIO ad negotium tam grave perficiendum denominatorum, et legitur in ephemeridis, quæ inscribitur: "Bibliotheca Physico-Oeconomica et Medico-Chirurgica", fasciculo, qui mense Junio anni 1796 prodiit. Hæc res, a supra nominatis viris sic relata, ut in laudato scripto legitur, ab Augustissimo tum probata non est. Cujus rescripti ratio quamvis adhuc latet, verecundiæ tamen limites egredi non putamus, si hanc conjecturam ingenue proferimus: mandato Regio et voluntati Principis indulgentissimi, pro educatione civium, ad munera publica chirurgica idoneorum, et pro salute patriæ clare significatæ, hac rogatione non esse satisfactum. E mascula nostri Beati defensione, cujus jam supra mentionem fecimus, et in qua suspicionem motam Noster amoliri adnititur, cognoscimus, nodum, extricatu perdifficilem, omnes senatores torsisse, CALLISENIUM præcipue, pro commodis chirurgorum stantem. Quæstio perdifficilis erat: "quæ-

"nam media arripienda sunt, ut chirur-
"giæ studiosi, a tonsoribus nondum dis-
"creti, rudes et literarum humaniorum
"expertes, quales tum erant, insuper ex-
"tranei, juris et moris patriæ nostræ
"prorsus ignari, quantumvis ætate pro-
"vecti et in chirurgia quam idonei ac præ-
"stantes, iisdem juribus frui, et ad eun-
"dum honoris gradum adscendere pos-
"sent, quæ indigenis juste deberentur,
"qui iidem humanitatis studiis animique
"cultui plures annos in scholis et aca-
"demiis impendissent, ne Apollinis
"templum illotis manibus intrarent?"
Constitutio, die vicesimo secundo mensis
Junii anni 1785 promulgata, omnium
legum nostrarum prima chirurgiæ stu-
dium excolentes a tonsoribus certis notis
distinguit; et in prolusione, quæ, latino
sermone scripta, mense Aprili anni 1785
prodiit, eximius philologus ac juriscon-
sultus Jacobus Justus Gudenrath, Aca-
demiæ Chirurgorum Regiæ ab epistolis,
testimonium reliquit: "a collegio acade-

"mico esse provisum, ut juventuti, chi-
"rurgicum studium excolenti, exercitia
"in latine scribendo et dicendo parari
"possent".

Cæterum de HENRICI CALLISENII ingenio, solertia et moribus nobis ita est persuasum, ut non dubitemus, quin ille, impedimentis superari nesciis tum coercitus, in causa, anno 1776 ipsi cæterisque collegis mandata, eundem animum pro veris chirurgorum commodis, et pro humanitatis studiis servaverit et, quantum in ipso fuerit, declaraverit, qui ex ultima oratione, qua docentis munus in Academia Chirurgorum Regia deposuit, elucet, et oratorem ornat. Neque ita multo post, nimirum anno 1784, quo querelæ, quas supra nominavimus, quibusque CALLISENIUS obviam ivit, fusæ sunt, Augustissimus novum indulgentiæ documentum Nostro dedit, a consiliis justitiæ prioris ordinis nomine et honore illum ornans, qui honos, ut opportuno tempore ei contigit, ita in pugnæ ardore magno solatio

fuit. Callisenii doctrinæ ac solertiæ fama ad exteros pervenit et adeo percrebuit, ut anno 1787 a Rege Borussiæ valde honorifica uberrimique fructus conditio ei oblata sit, clementissime annunciante, Nostrum, generalis chirurgi Voity morte, primum chirurgiæ professorem in Collegio Medico-Chirurgico Regio renunciatum iri, promisso insignis loci in albo dignitatum addito. Præter hæc Callisenii arbitrio relictum est conditiones proponere, quibus acceptis hocce munus sibi deferri cuperet. De hac conditione, a rege Borussiæ oblata, a Nostro Augustissimus certior factus, rescripsit: "Principi placere, si Callisenius muneri "apud exteros patriam præferret". Augustissimi Principis voluntate sic indulgentissime significata, Callisenius, simul confisus spe succedendi, anno 1773 sibi facta, et demum anno 1789 plene confirmata, conditionem a Rege Borussiæ propositam, quamvis splendidam, accipere recusavit. Ab hoc tempore ut Callise-

NIUS nova subinde doctrinæ, solertiæ, virtutum ac meritorum documenta dedit, ita Regis nostri gratia et indulgentia erga Beatum magis magisque crevit. Anno 1791, mensis Octobris die vicesimo primo, Henningsenio adhuc superstite, Noster sedem in Academia Chirurgorum Regia capere, et juxta directorem generalem Henningsenium considere jussus est. Ille idem anno tertio, postquam senex venerabilis Henningsenius de vita decesserat, in hujus locum ceu director generalis et professor Academiæ Chirurgorum Regiæ successit, eodemque anno membrum collegii summi, quod Nosocomio Fridericiano moderatur, renunciatus est. Domus Regia ab anno 1801 Capita sua augustissima CALLISENII solertiæ ac vigilantiæ indulgentissime commisit. Ad altiorem subinde amplitudinis gradum nunc adscendens, anno 1802, die undecimo mensis Junii, a consiliis status prioris ordinis denominatus est, anno 1809, Augustissimi natali die, eques ordinis Danne-

brogici, et anno 1812, eodem mense ac die, a consiliis conferentiarum prioris gradus; denique anno 1813, mense ac die, quos sæpius nominavimus, insignibus ordinis Dannebrogici tertiæ classis donatus est, qua occasione in solenni equitum consessu orationem habuit. Hi honorum gradus, per quos HENRICUS CALLISENIUS ad summum, in quo decessit, fastigium doctrina, solertia, virtutibus ac meritis adscendit, utrum Hippocratem nostrum, an augustissimi et indulgentissimi Principis existimationem magis decorent, nescimus.

Restat adhuc, Auditores atque Collegæ spectatissimi, ante oculos animosque vestros proponere, "quam fidelis dux vitæ "ac studiorum moderator HENRICUS CAL-"LISENIUS exstiterit. "Noster quidem," ut ipse loquitur, "adscriptus numero chi-"rurgorum, qui ex munificentia Regia sti-"pendio fruuntur, anno 1765 ut docens "scholas habere coepit, annisque 1765, "66 et 67 diversas anatomiæ ac chirurgiæ

"partes hibernis æstivisque prælectioni-
"bus chirurgiæ tironibus exponere cona-
"tus est, neque id sine applausu"; non
vero, ut quibusdam visum est, per qua-
draginta annos continuos aut docentis
muneri præfuit, aut docentis partibus
functus est. Neque dubitamus, quin
Beatus, hoc temporis intervallo non sui
arbitrii, sed ex magistrorum autoritate
maxime pendens, quæ sub Krygeri,
Heuermannii aliorumque professorum
ductu, humanitatis haud expers, fideli
aure acceperat, tironibus summa fide
reddiderit, et voluntate paratissima ex-
plicuerit. Anno 1773 et 74 loco profes-
soris Rotböllii, eo tempore ægrotantis,
simul anatomicas scholas habuit. Anno
1791, sub finem mensis Octobris, Univer-
sitati Havniensi valedixit, ac sedem, ut
supra monuimus, in Academia Chirur-
gorum Regia capere ab Augustissimo
jussus, professoris chirurgiæ muneri in
hac academia præfuit ad annum 1805,
quo scholas habere desiit. Hunc Ascle-

piadem ut docentem multæ virtutes commendarunt, in quibus eminent: summa in docendo perspicuitas, in explicando facilitas, singularis humanitas, doctrina solida ac lucidus ordo. Uti morum probitate, vitæ castitate et non fucata pietate eminuit, suosque discipulos harum virtutum exemplo præivit, ita in principiis, præceptis ac monitis tradendis, atque in universa disciplina omnem arrogantiam et jactantiam, omne quæsitum et affectatum, omnes lusus et præstigias fugit, ut qui maxime simplicitatem amans, idque solum intuens, quod ad vitam humanam conservandam spectabat. Discipuli ab illo nihil audiverunt, nisi profuturum, nihil, quod non didicisse melius erat. Præter hæc Æsculapii filii, CALLISENIUM audientes, e hujus ducis, vitæ ac studiorum moderatoris scholis duplicem fructum tulerunt. Nam usus diuturnus, primum sub ductu summorum magistrorum et artificum, deinde proprio Marte comparatus in gravissimis

muneribus, quibus præfuit, et in quibus præter praxin privatam, quæ in dies crevit, immensum numerum ægrotorum suæ curæ traditum habuit, hic, inquam, usus, perpetua meditatione, commentatione, assiduitate in legendo et scribendo, præstanti acumine subtilique judicio auctus, scholas ipsius theoreticas ad fastigium evexit, in quo positæ lumen doctrinæ ac scientiæ ad omnes partes diffuderunt. Hic usus, observationibus confirmatus ac roboratus, ab opinionibus purgatus, effecit, ut Noster, summus artifex ac verissimus morborum existimator, penitiori cognitione causarum et altorum recessuum suos auditores locupletare posset, neque eos infirmarum hypothesium et phantasiæ lusuum specie falleret; quidquid enim in medium protulit, probavit, ad usum commendavit, et, ex limpidis fontibus haustum, observationum centies repetitarum consensu confirmavit. Neque minus hæc penitior cognitio, una cum doctrinæ ac scientiæ

lumine a scholis theoreticis ad practicas et ad ægrotorum lectos traducta, auditoribus profuit. Etenim Beatus, tam morbum vel malum, quam graviter ægrotantium conditionem et casus ancipites oculis discipulorum subjiciendo, suoque subtili judicio proferendo, iusta morborum tractatione exhibenda, remediorum ac operationum necessitatem et tempestivum usum, in quo discrimine vita, quæ salutis spes, et plura ejusdem generis docendo, theoriam, quam tradiderat, partim auxit, partim confirmavit, neque minorem artificem, quam ducem fidelem et expertum se exhibuit. HENRICUM CALLISENIUM, quamvis, dura necessitate coactus, sero ad humaniores literas animum applicuisset, in iis tamen, quantum per temporum et officiorum rationes liceret, profecisse, hisce chirurgiam ac medicinam ornasse, earum fructum ad incrementum omnium bonarum artium omnisque liberalis doctrinæ cognitum habuisse, humaniora studia per totum vitæ

cursum amasse, docentem fovisse, commendasse, amplexum esse, jam supra diximus. Hoc loco ipsum Nestorem faciamus loquentem de commodis eorum, quibus prima ætate contigit scientia literarum, earum præcipue, quibus veri, honesti, pulchri sensus acuitur, ingenium excolitur, et ad omne sublime et præstantia hominis dignum formatur ac fingitur: "Forsan sunt in numero me audientium, "quibus inæstimabile beneficium disci-"plinæ in literis prima ætate non obtige-"rit, qui iidem in artis salutaris usu "hujus commodi inopiam per totius vitæ "cursum dolebunt. His iter plus mole-"stiæ exhibet, et periculum est, ne tales, "quantacunque cognitionis ab iis compa-"ratæ copia sit, apud suos cives cultiores, "qui emendato et accurato stylo, vocabu-"lorum delectu rectaque conjunctione "viri merita non raro metiantur, suæ "existimationis detrimentum faciant" *).

*) Nyt Bibliothek for Physik, Medicin og Oeconomie. 8de Binds 2det Hefte. P. 116.

Hisce verbis utens vir, annis, usu, acumine et literis gravis, discipulis omnibus, ipsum tum audientibus, suum literarum humaniorum amorem non patefecit solum, sed etiam studuit inspirare tantum, quantus in suo ipsius pectore arsit. Quamvis Henrici Callisenii testimonium de tempestiva literarum disciplina et de studiorum humaniorum fructu ad omnis disciplinæ incrementum ac ornamentum in causa tam aperta satis validum est, tantique viri autoritas sufficere potest, Vos tamen, Collegæ spectatissimi, hisce, a summo artifice dictis, me, impari gressu sequentem, pauca addere, patiamini rogo.

An multum fallantur, qui dicant: "tanti es, quanti tui animi cultus jure "æstimandus est", nescimus. At sicut magnus ille rethor Quintilianus vere judicat, virtutem a natura quidem impetum sumere, sed doctrina perfici, et Socrates, qui primus honestatem et humanitatem in domos intulit, philosophiam a coelo

devocasse a Cicerone dicitur, ita nobis certe persuasum est, qui, de styli cultu securus, barbarismis et soloecismis frequenter peccet, neque vocabula, neque enunciationes recte conjungat, eum non solum rude et hirsutum ingenium, cogitandi, et cogitationum seriem apte connectendi inscitiam manifestare, sed etiam, quod adhuc minus ferendum, morum vitium, honesti ac decori contemtum in stylo prodere. Salse admodum Cicero in libro primo Tusculanarum disputationum eos deridet, qui, quamvis recte sentiant, suas cogitationes neque disponere, neque illustrare possint. Hujus oratorum Romanorum principis verba hæc sunt: "Fieri autem potest, ut recte "quis sentiat, et id, quod sentit, polite "eloqui non possit. Sed mandare quem- "quam literis cogitationes suas, qui eas "nec disponere, nec illustrare possit, nec "delectatione aliqua allicere lectorem, ho- "minis est intemperanter abutentis et otio "et literis". Ille idem in secundo libro

harum disputationum eos excitat (et probat), qui liberaliter eruditi, adhibita etiam disserendi elegantia, ratione et via philosophantur, et paulo post non minus vere, quam verecunde judicat: "Nobis autem videtur, quidquid lite-"ris mandetur, id commendari omnium "eruditorum lectioni decere. Nec, si id "ipsi minus consequi possumus, idcirco "minus id ita faciendum esse sentimus". Summi hujus oratoris et philosophi judicium pro causa elegantiorum literarum ac humanitatis studiorum litem, si qua esset, dirimere posse nobis certe videtur.

Ad virtutes, quas supra memoravimus, accesserunt aliæ, æque eximiæ, animi ingeniique dotes, quas temporis opportunitas fortunæque bona, si non auxerunt, certe in frequentissimum theatrum produxerunt. Nam Noster ad literas et bonas artes, speciatim ad chirurgiam et medicinam, quas artes in deliciis habuit, quibusque majorem otii partem

consecravit, natus esse vere dici potest. Erant in illo ingenii lumen, summa perspicacia, promta facundia, libertatis amor, vividum pectus et summa prudentia. Gravitas oris ac vultus, an humanitas et morum simplicitas in convictu cum magis decoraverint, discernere non audemus. Aditus ad hunc senem gravissimum, eundemque occupatissimum, erant faciles ac molles. Æsculapii filii, eum consulentes, doctiores, ac ægrotantes, hujus Machaonis consilio adjuti, solatio erecti discesserunt; nemini, quem Noster juvare potuit, opera ipsius defuit. Ille idem optimum patremfamilias se præbuit, cum cultissimis hominibus, tam domi quam foris, et cum illustribus domibus familiariter vixit, in summorum ac infimorum animos se insinuare calluit. Inde singularem quandam ac incredibilem mentis humanæ suique seculi intelligentiam, inde raram animos humanos molli articulo tractandi solertiam sibi conciliaverat.

Summos Daniæ jurisconsultos in numero amicorum habuit, quibus uti suæ causæ patronis suique desiderii adjutoribus vere gloriari poterat, ita etiam ab iis didicit juris scientiæ et legum, quibus Dania regitur, cognitionis utilitatem ac necessitatem tam omnibus, quibus reipublicæ administrandæ pars mandata est, quam medicis ac chirurgis, qui non in sola medicina forensi, sed in multis aliis officiorum ac responsorum partibus leges, quibus parendum, cognitas habeant, necesse est.

Tot tantæque virtutes effecerunt, ut, cum summi hujus doctoris et artificis orsis successus daretur, et, omnibus, quanta fieri potuit diligentia, bene provisis, eventus eum non falleret, discipuli illum non suspicerent solum, et intimo amore prosequerentur, sed in omni re agenda ad fidelem hunc et expertum ducem respicerent, ceu vitæ et studiorum moderatorem spectarent, et tanquam Deum (sit venia verbo) colerent. Hinc

ægrotantes ad nostrum Nestorem ut validissimum præsidium, Æsculapii filii ut oraculum confugerunt, collegæ spectatissimi, scientia, meritis, annis graves, in quovis fere casu ancipiti non prius acquieverunt, quam hujus Apollinis consilium et responsum audivissent. Inde non facile ulla causa gravis, ad sanitatem vel remotissime spectans, fuit, in qua non arbiter et præsul ab Augustissimo denominaretur. Inde, foris non minus quam domi, in casibus difficillimis et aleæ plenis expetitus est.

At in ipso exordio promisimus CALLISENII manibus aliquod certe pietatis ac humanitatis documentum dare. Quod officium quamvis per totam hujus parentationis viam pie servatum et velut fusum appareat, me tamen, summi hujus præceptoris ac ducis discipulorum unum, cui Beatus tot et tanta amoris aliarumque, quas memoravimus, virtutum documenta dedit, et qui per quinque salutem lustra cum hoc artis salutaris præsi-

dio ac ornamento conjunctus vixi, ita ut neque testis virtutum ejus rejiciendus, neque ceu mutus admirator probandus videar, quæ sequuntur monere juvat. Per longam annorum seriem e scholis HENRICI CALLISENII, tam theoreticis quam practicis, uberrimos fructus cepi, amorem suæ artis mihi inspiravit, animum, occupationibus, cura et laboribus fractum, erexit, et præceptis, monitis, consiliis suaque autoritate meum profectum juvit. Illum parentis loco colui, et ad eum tamquam ad oraculum confugi. Denique, ne totum pectus in hujus viri laudes ac merita effundam, id quod vires meas longe superat, ducem se fidelissimum vitæ et studiorum meorum moderatorem sapientissimum et sanctissimum mihi semper præbuit. Parvam farinæ micam, sed pectore pio, Tibi, tanquam alteri Apollini, sacrificamus; Tu nobis intersis, pie precamur.

Noster matrimonium bis inivit, prima vice, anno 1773 ineunte, cum viri

S. G. Braun, a consiliis justitiæ ac chirurgi, ad sanitatem augustissimorum Capitum, Regis Friderici Quinti, eoque mortuo, augustissimæ Reginæ viduæ, Julianæ Mariæ, tuendam renunciati, filia, nata Catharina Birgitta Braun. Alterum matrimonium inivit anno 1778 cum Maria Amalia Walcher, civis Havniensis et oenopolæ filia. Ex utroque conjugio liberorum plures, et ex his nepotes ac neptes, videre ei contigit.

Quid triste ac luctuosum ex chronica pulmonum labe tussique diuturna una cum sputo purulento, quibus malis per triginta, et quod excurrit, annos Noster laboravit, quid ex tenui et fracta valetudine corporisque emaciati et tabescentis infirmitate, quid ex successivo virium decremento et ingravescente senectute jam per plures annos sat certo augurari liceret, id, proh dolor! accidit anno proxime elapso, mensis Februarii die quinto, quo illud Machaoniæ artis lumen extinctum est, quo hic vir,

inter senes venerabiles eminens, octoginta et quatuor annos, duobus mensibus minores, natus, in egregiæ uxoris et dulcissimæ ac pientissimæ conjugis complexibus animam placide efflavit. Decedens tantam rem familiarem reliquit, quam, ut honesto labore sibi comparaverat, ita ceu diligens paterfamilias administravit.

Maxima religionis immortalitatisque spes Nostrum tenuit, ipsum mortuum migraturum esse in oras, quas, qui e vita excesserunt, incolunt, animumque ex corporis vinculis in coelestium concilium evolaturum. Summa hæc spes una cum conscientia vitæ bene actæ effecit, ut egregius vir extremo spiritu, cum jam præcordiis conceptam mortem contineret, cum suis confabulans, luderet, mortem æquissimo animo exspectaret, et adventantem ut amicum complecteretur. Ingens solatium adfert hæc cogitatio, tantum virum neque casu interiisse, neque ante diem occidisse, sed,

necessitatis legi parentem, suo tempore, senectutis maturitate exstinctum, e vita decessisse. Dolorem quoque paulisper levat, omnia, quæ secundum naturam fiunt, in bonis habenda. Nihilo tamen minus mors summi hujus viri, præceptoris tam cari, exemplaris vitæ ac morum, animos nostros adeo afflixit, ut recordatione bonorum, quæ morte ipsius amisimus, luctus noster recrudescat, et memoria hujus parentis ac benefactoris ex pectore nostro nunquam deleatur. Quam carus non propinquis tantum, Æsculapii filiis atque collegis, sed etiam omnium ordinum civibus fuerit, moerore funeris indicatum est. Nam die undecimo mensis Februarii anni proxime elapsi, quo die exsequiæ HENRICI CALLISENII celebratæ sunt, tota domus dolore ac lacrymis immersa fuit, tanta frequentia amplissimorum, illustrissimorum ac ornatissimorum civium funus comitata est, tantaque, ut funeri amplissimo iusta solverentur, æmulatio apparuit, ut,

in gravi hoc sene decorando ac ornando, eo ipso die, quo ille Nestor, docentis munere se abdicans, in perpetuam beneficiorum memoriam nummo aureo donatus est, major apparere non potuerit.

Vos, Collegæ spectatissimi ac conjunctissimi, æquo animo accipite, quæ designare verecunde tentavimus, extremas summi hujus viri lineas et exstantiora quasi lineamenta. Virtutes, quarum possessor Defunctus omnium intelligentium æstimatorum consensu judicatus est, pro ingenii nostri modulo ad imitationem proposuimus, neque tamen veritatem et rei actæ modum excedere voluimus. Uti natura in nostro experta videtur, quid efficere posset, ita opus a natura inchoatum fortuna perfecit. Vos, juniores Apollinis Cultores, tot et tantarum virtutum exemplar intuemini et imitamini! At si coeptis vestris non eadem fortuna afflaverit, atque adversum temporum flumen impetum vestrum retuderit, nolite tamen

animum despondere! Enitimini, Sodales, pugnate ut viri cum fluctibus adversis immensique maris procellis! Hæc meminisse forsan juvabit: Deus lætiora tempora reducet, et pios bonarum artium cultores, ipsi confidentes, nunquam deseret. Magnum solatium et aptissima arma ad omne malum ferendum sunt bonæ ac salutares artes, exercitationesque virtutum, quæ, omni ætate cultæ, mirificos adferunt fructus, non solum, quia nunquam nos deserunt, verum etiam, quod conscientia vitæ bene actæ multorumque benefactorum recordatio jucundissimæ sunt.

Uberrimi e nostra, in Apollinea arte, in literarum humanitatisque studiis, assiduitate, fructus ad universam rempublicam redundent, nostrique conatus ad bene merendum tanti æstimentur, quanti sunt, pie precamur. Dixi.